



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fulvii Androtii Societ: Iesv Theologi Opuscula spiritualia

Androzzi, Fulvio

Coloniæ, 1611

Remedia ad extirpandos defectus particulares.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48641)

3. Pœnarum æternarum, & præmio-  
rum cœlestium,
4. Fugere otiosos, & conuersati cum  
diligentibus.

**REMEDIA GENERALIA**  
*contra Peccata.*

**PRINCIPALE** remedium ad eradi-  
candum peccatum, & inferendā vir-  
tutem est, crebrò vacare orationi cum  
magna fiducia.

2. Sæpè confiteri, & statim, postquam  
in peccatum mortale incideris.
3. Communicare frequenter.
4. Fugere peruersas societates, sequi  
bonas.
5. Sæpè legere libros pios & spirituales.
6. Crebrò meditari de Passione  
Christi.
7. Considerare vitas Sanctorum.
8. Cogitare diuinæ Maieftatis, & boni  
angeli præsentiam.
9. Considerare, mortem esse certam,  
sed horam incertam.
10. Expendere exēpla diuinæ iustitiæ.
11. Considerare tremendū diē iudicij.
12. Pœnas damnatorum.
13. Præmia & gaudia paradisi.

**REMEDIA AD EXTIRPAN-**  
*dos defectus particulares.*

H 3

IN 3

1. **I**NVESTIGARE causam & radicem defectus, nam ferè solent in nobis vnum, vel duo vitia dominari, à quibus alia omnia proficiscuntur. Unde illis extirpatis, reliqua quoque facillè extirpantur.
2. Memoria tenere remedia, quae sunt contra illa, ijsq; cum opus est, uti.
3. Oppugnandum sumere defectum præcipuum, odio habendo simul reliquos, donec expugnentur, vel saltem debilitentur.
4. Sæpè renouare propositum vincendi illos: iram item renouare contra illum.
5. Sæpè cogitare de remedijs, eaq; adhibere.
6. Maius particulare auxilium ad illud expugnandum à Deo petere.
7. Commendare se alicui peculiari sancto, qui eodem vitio laborarit, gratia autem Dei fuerit ab eo liberatus.
8. Crebrò examinare conscientiam de hoc peccato, conferendo vnum diem cum altero.
9. Imponere sibi, si recidat bonam poenitentiam, accommodatam peccato.
10. Magnum animum habere ad vincendum: id enim certum est victoriae signum. Spem quoq; ingentem habere victoriae consecuturae.

COMMVNIONE. 151

11. Perseuerare in pugna, nunquam animo deijci, etiãsi millies cadas quotidie; Is enim solus vincitur, qui abiectis in terram armis securpiter victum profitetur.

12. Quamuis tibi nullum progressũ videãre fecisse, non ideò nihil erit. Nã horologij vmbra, etiamsi eam crescentem non notemus, tamen crescit. Similiter homines, arbores, gramina creuisse animaduertimus, sed actu crescentia non vidimus. Sic non videmus quomodo crescat virtus, sed si persistamus, suo tempore notabimus eã creuisse. Quamquam in ipso labore pugnandi, in patientia, humilitate, non exiguus est fructus, imo magnum apud diuinam maiestatem meritum.

REMEDIA AD CONSOLANDUM  
afflictos ex morte cognati, vel amici tristes.

Ex S. Antonino.

PRIMUM est. Cogitare sic voluisse Deum, cur ergo resistis eius voluntati? Cur quotidie dicis? *Fiat voluntas tua,* & non te conformas illi? Vnde dicit Magister sentent. Placeat homini, quod placet Deo, & ideo placeat, quia placet Deo.

H + II. Co.